



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Swigbertus Episc. 1. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

M A R T I V S.

S. SWIBERTUS EPISC. I. Martii.

Hujus etiam splendorem multò antè quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Propitium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonenses aliq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cum primùm anno quinto decimo inter viros religiosos adlectus fuit, multò magis postea, cum facere hoc impositum munus Episcopi jussit. Sed & Numen calculo suo Apostoli officium confirmavit, quando vinctum à Germanis, misso genio bono, è carcere eduxit. Testes porrò dicenti accesserunt præter alios cæci, surdi, muti, dæmones adeò ipsi & tres demortui; illi sani omnes à Divi manu, hi vel pulsi, vel in vitam revocati. Atque hos inter adolescentem memorant, cui vocabulum Splinterus erat. Hic SWIBERTO templum amni superstructum sacrante, dum cymbâ ludit incautus, excidit & aquis haustus mœrore festum diem contaminat. Parentes alieni à divino cultu defunctum in fanum proximum inferunt, & frustra omnibus precibus armatas Martis aures pulsant. Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus. Quod tamen hujus non potuit, JESU nomen invocatum à SWIBERTO potuit, & puer in vitam revocatus plures à superstitione revocavit. Denique stella nobilis SWIBERTVS cum diu in terris egisset, locū suum, ex quo venerat, repetiit. *Ex Sui.*

Etiam infidelis tetanus se ei debere non ignorat, quoniam

2. Mart. VITÆ SANCTORVM. 119.
sui totius non ignorat auctorem: quid ergo ego, qui Deum
meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem,
sed insuper, etiam copiosissimum Redemptorem, æternum
conservatorem? S. Bern. de dilig. Deo.

S. CEADDA EPISC. 2. Martii.

MORTEM ut ne timeas, time Lector: neque
Menim illi olim timent, qui nunc timent; id
quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in
Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille
anno post orbem restauratum Septuagesimo se-
cundo supra sexcentimum. Gremium mortuo
MARIÆ templum præbuit, ipse agris asylon tu-
mulum suum, cujus pulvis haustus morbidis
quamplurimis saluti fuit. Cæterum solitus est,
dum vixit, quoties vehementior cælo ventus in-
surgeret, humi se abjicere magnisque vocibus *Mi-
sericordiam Dei implorare*: jam cælo gravius suc-
censente, & fulgura tonitruaque miscente, ad
templum fugere & aram; neque ibi prius sibi à
lacrimis temperare, quam iterum Sol rideret.
Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præ-
ludiis æstimare se illum supremum ac decreto-
rium diem. Utiq; minus tunc hominem fulgu-
rantes iudicis oculos, & fatalem ab arcu senten-
tiam detonantē laturum. Sed, talis CEADDA nun-
quam magis serenum cælum quam moriens
aspexit. Siquidem septē continuis diebus aspecta-
biles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia
invitarunt emeritum, utq; aures faciles impe-
trarent, ah! quali musicâ has demulserunt. Ultimò
cum iisdem frater CEADDAE adfuit, qui cum nuper
adeò in cælum ivisset, viam scilicet nunc germa-
no monstravit. Ex Bedâ Hist. ar. Eccl. Gent. Angl.

Time,